QUÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ tertiâ Martii.

M. MICHAELE DE LA VIGNE, Doctore Medico, Præside.

An omni Scorbuto volatilia?

I.

QUI viventium omnium machinam è tubulis, fluidisque conflari affirmat, emendatè loquitur ad physicen; qui ex illorum structurâ laudabili, simul & horum libero commeatu sanitatem hominis pendere profitetur, scitè dicit ad medicinam. Succorum motus, ut multiplex, nec uniformis, ita sapores admodum varii; quisquis summa duntaxat illorum genera percipit, peregrinatur in ætiologiâ; qui peculiares intimasque sapidorum mixtionis rationes contendit usu discriminare, suam ludit operam. Satis habeto ille indefinitas ejuscemodi συζυγίας intellectu percipere. Cæteros inter sapores efficacitate percrebrescunt, acris & acidus; alter, cujus est cruori, quem citatiùs agit, fluidiorem tribuere σύςασιν, acutarum ægritudinum omnium parens agnoscitur; alter, cujus est sanguini, quem utcumque moratur ac sustinet, defigere crassitudinem, morbos alit, fovetque contumaciores. At numquid ex utriusque succi istius, è potiore naturâ dejectis, conjugio procreantur & affectus aliquot? Ita sanè, difficiliores & superatu, Scorbutus putâ, è confusione acris acidique succorum oriunda progenies, veteribus medicis haud ignota, quanquam alio sub nomine.

I I.

EST ſcilicet ubi cruor, ob traducem à parentibus nutritiorum viſcerum κακοπραγίαν, ob incautam vivendi legem, atque ob maligni miaſmatis ἔκρυσιν, aut particulas intra ſe ſuſcipit, ſalino-ſulphureas ultra quam ſatis, aut ſulphureo-ſalinas. Prioribus ubi gravis eſt, cutim maculis apparere diſtinctam, diverſis aſperam tuberibus, ulceribuſque deformatam; quin & inſtare ventriculo nauſeas, hunc ipſum fatigari vomitione, triſtibus angi cardiogmis, inteſtina ſollicitari frequentibus alvi dejectionibus, dyſentericiſque cruciatibus miſerrimè torqueri; verbo dicam, extorum omninò nullum à dolore liberum videas, & immũne. At quandò poſterioribus onuſta eſt ſanguinea moles, colore cutis, ejuſdemque lævore ferè ſemper incolumibus, ſpaſmo quatiuntur ægrotantes ex intervallis, torpore detinentur artuum, anhelitus difficultate premuntur, pectoris urgentur anguſtiâ, moleſtis anxietatibus irrequieti, crebris animi deliquiis fatiſcentes, ſpontaneis laſſitudinibus oppreſſi procumbunt; cœterum, anne tam grande ſymptomatum ſatellitium impreſſæ ſoli cruori labis judicanda conſequutio? anne teter halitus ad nerveum uſque laticem diffuſus exiſtimabitur? hic dubio procul in ſanguinis infecti conſortionem trahatur oportet.

I I I.

ATTENDAS ea propter ad proprietatem doloris humoriſque pernicitatem quiſquis cum veteribus & recentiorum pleriſque cruorem acido ſolo ſemperque fœtum eſſe in affectione Scorbuticâ contendis. Illinc enim audias ab ægrotantibus oſſium medullam quaſi tranſverberari, carnes velut deripi digitis, unguibuſque, vel uri. Hinc humore, momento citiùs, de parte corporis in partem, diſſitiſſimamque rapto, quælibet obvia vel curſando denſiſſimè configi audias, intimè concidi, non ſine triſtiſſimo lacerationis ſenſu.

Agedum utri ſuccorum ſoli, dominantive adſcribetur iſthæc impreſſio? non acido quidem uni: ſed nec eidem præpollenti, quippe quem nec aculeis adeo fodientibus armatum eſſe conſtet, neque particulis adeò præpetibus abripi: ſuccus igitur acer, iſque volatilis, aut ſoluti ſalium tartareorum ſpiritus acres, ubi nerveas in partes curſim illapſi, punctim affiguntur, haud infrequens, at efficacitate prævalens affectionis Scorbuticæ cauſa tibi eſto. Rationi fidem derogas? experientiam adhibe: Majorem volatilis ſalis copiam evincet illa eductum iri è ſanguine laborantium affectu Scorbutico, quam fixi ſalis; mirabere forſan phœnomenon iſtud; linteamina ſcilicet madida cruore, qui ſtillaverit è Scorbuticorum naribus, corroſa viſa fuiſſe non ſemel.

I V.

ERGONE perſpectâ penitùs indole Scorbuti, prout oriundi à ſanguineâ mole depravatâ, quæque deſciverit in ſalino-ſulphuream, præſcribentur ægro beccabunga, coclearia, naſturtium, & generis ejuſce volatilia plurima? Ergone verendum nihil ex iſtorum remediorum uſu præpoſtero? quaſi cruor, antea jam exlex, indeque ferociens impenſiùs, in ſerum non habeat liqueſcere maligniſſimum, quod concuſſibus aſſiduis exercebit partes, exagitabitque, doloribus torquebit atrocioribus. Quam prudentiùs agetur in commodum ægrotantis à medico qui aliam invenerit viam! Studebit ille primo mitigandis, per injecta furenti ſanguini fræna, ſymptomatis urgentioribus, atque adeò portionem ipſius aliquam, ſectâ ſemel, iterumque venâ, demet; aliam, & acriorem temperare ſataget, tenuiorem ſpiſſare, quietis impatientem impedire quoquomodo; nerveum laticem hac arte revaliturum eſſe confiſus, maximè ſi de liberandis infarctu, viſceribus, ut ut iſte levis fuerit, aut recens unà cogitaverit. Executuro meditata tam ſapienter, præſto futura ſunt

ex alterantibus refrigerantia, quibus ſuppetias ferent quæcumque abſorbendi virtute præcellunt; purgantia benignioris ordinis, quæ ſuis augebunt viribus è marte parata medicamina, balnea dulcis aquæ, ſelectarumque metallicarum aquarum hauſtus, adhibitis cum circumſpectione ſpecificis.

V.

HOC inſtructum apparatu medicum ſpes teneto plurima, futurum ut Scorbutum curaturus ſit, cujus mituiſſe ſymptomata, conſtiterit apud ipſum, exhauſtos putredinis lares, & amotum contumaciæ fomitem. Conſimili ratione, quanquam ſine remediorum operâ, convaluiſſe putaveris à Scorbuto, quotquot ſale duratis inhalatiſve fumo carnibus dudum uſi, fructus aliquandiu comederunt ad ſatietatem, ſucco luxuriantes, eoque dulco-acido; quotquot vitiatis pridem aquis poti, dulces & ubertim hauſerunt aquas, ſero lactis proluerunt ſeſe defœcatiſſimo, vel dedidere ſeſe totos caprillo lacti pro edulibus. Subactis nimirum hac vivendi normâ particulis cruoris acrioribus, tubulorumque ſtructurâ congruum in ſtatum reductâ, vivificum nerveumque latices, decurrere leviter, horum appulſu recreari partes omnes, priſtinum reſumere vigorem, bonum habitum concipere, florido colore cutim illuſtrari. Nullo igitur ducare præjudicio, quoties curandam aggrediere Scorbuticam affectionem, cauſam à causâ dirimito ſagaciter, alteram volatilium uſu tollendam, ab alterâ quam eorumdem adaugebit abuſus: medentique tibi obverſator hoc effatum, *Juvare ſi non potueris, caveas ſaltem à nocendo.*

Non igitur omni Scorbuto volatilia.

Proponebat Pariſiis JOANNES DEPINEY PESCHARD, Cenomanenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1702.

Apud viduam Franciſci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographi.